DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

IRITIDE,

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
QUÆDAM DE

IRITIDE,

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS DUNN,
JAMAICENSIS,
CHIRURGUS.

Ingentibus vero et variis casibus oculi nostri patent.

Celsus, lib. vi. cap. 6.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.

MDCCCXXIII.

PATRI SUO LUSTRICO

MICHAELI BENIGNO CLARE, EQUITI, M.D.

VIRTUTIBUS OMNIBUS QUÆ CIVEM HOMINEMQUE

EXORNANT

NEC MINUS

ERUDITIONE SCIENTIÆQUE AMORE

INSIGNI:

VIRO ORNATISSIMO

ARTEM SALUTIFERAM

APUD SPANISH TOWN JAMAICENSIUM,

FELICITER EXERCENTI;

AMICO PATERNO VETUSTO FIDELIQUE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA VENERANTIA,

D.D.C. QUE

ANDREAS DUNN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

IRITIDE.

PROŒMIUM.

Quando oculi structuram valde delicatam pelluciditatemque omnium ejus humorum variorum memoria habemus, atque Corneæ figuram tam bene accommodatam, ad accipiendas impressiones lucis radiorum, phænomena visus gignentium, unde pulchritudinem variam tam rerum animatarum quam inanimatarum, nec minus proprietates omnium, quibus undique cingimur, vestigare possumus, facile liquet, in-

numeros pene morbos, quibus multiplex iste apparatus obnoxius est, summa medicorum diligentia scrutandos esse.

Horum morborum unus, ophthalmia Iridis, cujus propensio ad perdendum visum rapidissima, maximi momenti, studioque medicorum dignissimus, est.

Hic autem morbus esse oculi affectio distincta non putatus est, donec Schmidt in Germaniâ medicus et professor celebris in 1801, eum accuratè in dissertatione suâ de Cataracta secundaria et Iritide descripsit.

Chirurgi Saunders tractatus eximius in 1806 editus, primum medicos in Britanniâ sese ad eum applicare duxit; ex quo tempore vero observationibus, Beer imprimis, Farre, Travers, Veitch et aliorum, fauste explicatus fuit.

Ophthalmia Iridis, tum quod signa in hominibus diversis nonnihil differunt, tum quod in habitu corporis eorum qui afficiuntur, aliqua est differentia, in varias species, scilicet in

Iritidem Idiopathicam,
Syphiliticam,
Rheumaticam,

Iritidem Arthriticam,
Mercurialem,
Occasionalem,

a medicis divisa est. De quibus omnibus dicere non est mihi in animo, sed solum de Iritide Idiopathicâ, Syphiliticâ, et eâ quæ denominata est Iritis Mercurialis.

Etsi Hunter,* an ulla oculorum inflammatio sit Syphilitica, dubitaverit; tum quod is morbus, cùm alias partes corporis humani invadat, dolorem minus gravem, moveat; tum quod exempla ulceribus comitata, qualia Syphilide os vel guttur vel linguam invadenti, accidunt, nunquam vidisset; Medici recentiores nihilominus plerique Ophthalmiam subinde Veneream existere credunt.

Itaque Saunders in dissertatione suâ de Iritide hunc statum Iridis aliquando ex Syphilide oriri contendit, et usum Hydrargyri et Belladonnæ perbenignum ad eum removendum commendat.

---

* Hunter on the Venereal, p. 324.

Travers,* necne Iritis Syphilidis veneno unquam excitetur, agens, difficultatem minus e ratione theoreticâ, sed e complicatione exemplorum quæ se nobis offerunt, ob usum Hydrargyri, provenire putat. Quoniam Syphilis sine Hydrargyro curari potest,† nunc pervenit hoc tempus quo dijudicare possumus; et sine dubio probatum est, Ophthalmiam Iridis in hominibus Syphilide affectis, in quibus nullum Hydrargyrum usurpatum fuisset, sæpissime ortam esse; id quod ostendit, actionem hujus metalli potentissimi ad productionem Iritidis in constitutione Syphilide laborante, non necessariam esse.

Carmichael‡ has observationes Domini Travers de Syphilide hunc morbum excitante expendens, confirmat, Iritidem multis et crebro contingere, qui nunquam Hydrargyrum sump-

---

* Cooper's and Travers' Surgical Essays, p. 64.

† Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. xiv.—Communications by John Thomson, M.D.

Med. Chirurgical Transactions, vol. viii. pp. 558 and 576.

‡ Observations on the Venereal Disease, pp. 32, 33.

serunt. Denique in causis Iritidis enumerandis celeberrimus Wardrop* opinatur Iridem aliaquavis parte oculi inflammationi Syphiliticæ magis obnoxiam esse.

Iritidem nonnunquam Syphiliticam esse, supra dictis probari mihi videtur, et contra dubia Joannis Hunter et aliorum qui de morbis et eorum symptomatibus tractant, inter causas hujus morbi excitantes, Syphilidem enumerare debemus.

Quum Iritis non raro occurrat, dum sub actione Hydrargyri speciali laborat corpus, quomodo rem contra hominum opinionem explicarent, Hydrargyrum nempe, et potestatem Iritidem curandi habere, et causam morbi excitantem esse, Medicorum animi hæserunt.

Clarissimus Travers† qui Iritidem multo frequentius esse consequentiam Hydrargyri credit, et sæpius exempla Inflammationis Strumosæ, inter usum ejusdem metalli, comitari vidit, quomodo Iris sana Inflammatione corripe-

---

* Wardrop's Morbid Anatomy of the Eye, vol. ii. p. 38.
† Cooper's and Travers' Surgical Essays, part i. p. 80.

retur, vasaque ejus Lympham coagulabilem effunderent, ac contra vasa Iridis inflammatæ actionem suam naturalem reciperent, lymphaque absorberetur sub eodem medicamento, facile intelligit, de hac causâ, quod partes corporis quæ viribus integræ sunt, ab iis male sese habentibus haud minus, quam hæ inter se invicem, differunt; quapropter absorptionem depositionemque eodem tempore in corpore eodem progredi videmus, sive his usus fuerit, sive minus.

Rem vero longe aliter se habere mihi persuasissimum est; nam ex Iritide, variisque etiam aliis morbis inter Hydrargyrum usurpandum orientibus, rationem reddere possumus eam, quod frigus excitans causa et Hydrargyrum tantum causa prædisponens Iritidis est.

Cum homo vi Hydrargyri afficitur, totum corpus excitatur, conditio phlogistica seu inflammatoria movetur, actio arteriarum capillarium præter naturam augetur, et, ne diutius morer, Erythema est. Dum increscit actio venarum, processus absorptionis cum aliis functionibus omnibus multum acceleratur, et sen-

tiendi facultate potissimum auctâ, corpus, impressionibus rerum externarum ut vexetur, multo proclivius redditur.

Hoc statu in memoriâ habito, si frigus aliave quæpiam causa excitans inflammationis corpori adhibeatur, an consuetudini alienum videbitur, vel quisquam mirabitur, Iritidem aliasve affectiones inflammatorias, ut Rheumatismum, vel Erythismum Mercurialem (prout causa excitans plus minusve generaliter parti alicui applicata sit) accidere?

Ad hanc sententiam facit, quod Hydrargyrum Iritidem excitare posse observatum est; dum, in uno oculo, morbi hujus curatio progrederetur, non raro evenit, alterum oculum affici incepisse.

In sanitate æque et morbo mira conspiratio vel consensus inter varia organa corporis humani observatur, et in illis præcipue quæ in paribus existunt, sicut Mammis, Auribus, &c. et in nullis hæc magis conspicua est, quam in oculis, propter intimum connexum qui inter Nervos opticos, priusquam ad verum organum visus formandum procedunt, reperitur.

Neque hæc conspiratio solum inter oculos generaliter observatur, sed inter texturas eorum consimiles etiam existere apparet; sic ut Gregory celeberrimus, et nunquam non venerandus, docet, "Pupilla in tenebris patula, admissa vel vividiore factâ luce, statim contrahitur, et hoc consensui inter Retinam et musculum qui pupillam regit, eamque vel arctat vel amplificat, plane tribuendum est,"* et de hac re probanda multa exempla a Wardrop data sunt.†

Hac conspiratione valida inter binos oculos satis demonstrata, cui potestati Iritis in oculo sano oriens tribuatur, ne minima quidem difficultas existere potest.

A Medicis quibusdam dicitur, Iritidem in ægris nunquam visam esse, quibus ad alium (non Syphiliticum) morbum curandum Saliva excitata fuerit. Cujus rei rationem Veitch‡ plenissime explicat, opinatus in istiusmodi ho-

---

* Conspectus Medicinæ Theoreticæ a Jacobo Gregory, M.D.

† Wardrop's Morbid Anatomy of the Eye, vol. ii. p. 151.

‡ A Practical Treatise on Diseases of the Eye, by J. Veitch, M.D., p. 96.—Qua hæ opiniones plenissime investigantur.

minibus proclivitatem ad inflammationem opprimi, et a natura spatioque longo morbi, habitum corporis afficientis, multum comminui, nec iis opus esse ut Hydrargyri usum celent, (ut illi haud raro Syphilide laborantes solent) ideoque aëris vicissitudinibus minus objecti sunt.

Hactenus Hydrargyrum, ut causam excitantem Iritidis non posse agere vidimus; sed quatenus ejus potentia prædisponens aspectum Iritidis variare possit haud mihi certum est; vim tamen aliquam signa morbi utique afficiendi habere, cum indicia generum variorum Iritidis describemus, liquebit.

DE DEFINITIONE MORBI.

Ut apud majores nostros, Iritis, a cæteris oculi morbis, diversa, incognita fuit, nullam ejus definitionem in Nosologia Culleni clarissimi habemus—à Mason Good tamen, chirurgo solertissimo, et viro apprimè docto, sic definitur Iritis.

(OPHTHALMIA IRIDIS.)

" INFLAMMATION commencing in the Iris; colour changed to a green or reddish; fibres less moveable, and shooting dentiform processes into the Pupil; Pupil irregularly contracted and greyish."

Et in Classe suâ *Hœmaticorum*, ordine *Phlogoticorum* posuit, uti speciem secundam Generis *Ophthalmiœ;* nempe *Ophthalmiam Iridis* appellavit quæ Classe *Pyrexiarum* et ordine *Phlegmasiarum*, cum Nosologiâ Culleni concordat.

DE SIGNIS.

INEUNTE Iritide Idiopathicâ, molestiæ et tensionis per totum oculi globum sensu, tamen in dolorem obtusum, hebetem et altè positum, paulatim desinente, quasi a summis digitis, vel a vasis distentis oculum prementibus

orientem, corripitur æger; gradatim coarctatur oculi Pupillæ apertura, dum Iris corrugata et irregularis fit, et margo ejus ad Capsulam Lentis vertitur.

Color Pupillæ admodum mutatur, specie ejus naturaliter nigra amissa, simul cum Iridis colore, qui, primo ad circulum ejus minorem magis pullus fit, dum circuli majoris color, pro eo quem in statu sano possederat, multum variat, virescens, ut Schmidt docet, si color ejus cæruleus; cinereus, si fuscus vel niger fuerit.

Si ad oculum spectemus, zonula vasorum rubra illam oculi partem quâ Corneæ junctura cum Scleroticâ est, cingere videtur. Rubor tunicarum oculi externarum minime intensus est; tunicæ Scleroticæ vascula maxime densantur, cum Conjunctiva parùm afficitur; vasa quoque non trans Corneam currunt; sed ut ad Iridem inflammatam perveniant, per tunicam Scleroticam subito penetrant.

Uti in colore Iris non parum mutatur, sic multo crassior fit; et Corneam versus se protrudit, cameram anteriorem minuens. Mobilitas quoque ejus multum imminuitur, Pupillâ

ab incremento vel lucis diminutione, parùm affectâ. Multum permutatur etiam Margo Pupillæ; plus minusve quam in statu naturali inæqualis, et crassior factus.

Dum sese offerunt hæ mutationes, visûs sensus multum obtunditur, ob Inflammationem ad Capsulam Lentis extensam, qua ejus pelluciditas multum minuitur. In hoc morbi stadio dolor quam maxime acutus est, et lucis intolerantia valde molesta; multumque incommodi æger habet ab oculo etiam leniter presso, vel celeriter moto. Dolor quoque in Palpebris, fronte et tempore proximo, capitisque latere eodem acutissimus est, per globum oculi crucians, usque ad cerebrum penetrans.

Signis corporis se male habentis omnibus, et rubore conjunctivæ præcipue circa Corneam ingravescentibus, stadium Iritidis secundum apparet doloribus minus regularibus factis, lucis sensu imminuto, dum multum vexatur homo corporum specie lucentium falsâ, et igneis fulgoribus ante oculos, præcipue in noctis caligine, micantibus, hoc stadium distinguitur.

Pupillæ margo minus orbiculatus fit, et spe-

ciem cineream exhibet, quare oculum attente inspicienti materia araneæ similis, e Lympha coagulata formata et Pupillæ locum occupans, esse videtur. Forma Pupillæ valde mutatur, facta nimirum vel quadrata, oblonga, vel Rhomboidea. Lymphæ coagulabilis massulæ observantur, quæ ab acie ejus inordinata oriuntur, et adhæsiones late patentes formant; pupillæque aperturam fere obstruunt; quo evenit, ut res, nisi in parte vel uno latere tantum, non videantur.

Lympha in Iridis substantiam deponi non intermittit, et sic Iridem sese antrorsum protrudere cogit; et ad corneam appropinquare, dum ea quae in superficie Iridis posteriore deposita fuit inter uveam et capsulam lentis adhæsionem efficit, quâ natura hujus membranæ pellucida multum corrumpitur; et non raro tam magna est effusio, ut Lympha in cameram oculi anteriorem protrudatur. Dum ad corneam appropinquat Iris, tunica oculi illa plurimum mutatur; splendore suo perdito, et Iride, ut per nebulam visa.

Si ab ulla causa stadium ejus currere morbo detur, nunc in ea Iridis parte præcipue, ubi zonæ ejus major et minor sese connectunt, duo vel plura corpora parva, rotunda, coloris lutei, vel *aurantii*, sita videntur; hæc corpuscula citissime in suppurationem abeunt, rumpuntur, et materiam quam continent in cameram oculi anteriorem ejiciunt, dum oræ sacculorum laceratæ humore aquoso solutæ innatare videntur.

Dum Iritis adest, totum corpus, febre, quæ dicitur inflammatoria seu symptomatica, plus minusve afficitur; prout inflammatio ad tunicas oculi externas sese extenderit, vel interiores, sicut choroideam retinamque, occupaverit, vel in utrasque eodem tempore processerit; in quo casu, si signa corporis totius male se habentis, ut dolor capitis, et temporis proximi, inquietudo magna, calor corporis superficiei plurimùm auctus, cum pulsu pleno duroque et alvo astricta, pergravia sunt, et si non amoveatur inflammatio, totus oculus suppuratione corrumpitur.

Tot tamque varia sunt Iritidis simplicis sig-

na; nunc ad illam morbi speciem considerandam quæ in Syphilide occurrit, et cui nomen Iritis Syphilitica est, progrediamur.

In Iritide Syphilitica, rubor ille Iritidi adeo proprius observatur, priusquam ulla mutatio in Iridis aspectu, vel magnitudine pupillæ videri possit; rubor qui ad marginem Corneæ perconspicuus est, citissime supra partem conjunctivæ anteriorem sese dispergit; species circa corneam *zonularis* non solum arteriis ciliaribus formatur, sed etiam, a vasis conjunctivæ sanguiferis in magnitudine et numero auctis, oritur; et ut Scleroticæ et Conjunctivæ vasculorum multitudo increscit; ita Cornea magnam mutationem subit, minus translucens (sed non ex toto opaca) facta. Hic Corneæ aspectus (ut Schmidt credit) a *membrana humoris aquosi* male se habente oritur; sed, ut Beer existimat, ab *aquula* inter Corneæ lamellas collecta, cum humoris aquosi pelluciditate simul imminuta. Nunc cernitur Iris multum densata, et Corneam versus projecta, et in motibus valde limitata, dum coloris mutatio primo ad minorem, posteaque ad circulum majorem occurrit, et

Pupilla paulatim sese contrahens, valdeque inæqualis, angularis facta, sursum antrorsumque ad nasi radicem trahitur.

His signis conjuncta sunt intolerantia lucis maxima, et sensus oculi totius dolens, quæ cum Epiphorâ, mutatione lucis etiam minimâ, multum ingravescunt, etiamque vespere instante augeri videntur.

Inter hæc dolor suprà palpebram superiorem fixus oritur, qui vespere constanter recurrit, post mediam noctem acutissimus fit, et gradatim paulo ante tempus matutinum abit. Post quemque doloris regressum, Pupillæ distortio major fit, mutatio in substantiâ et Iridis colore ulterior evenit, et adhæsiones inter marginem Pupillæ et superficiem capsulæ lentis anteriorem oriuntur.

Si in hoc stadio processûs sui perniciosi morbus non reprimatur, tumores parvuli, coloris fusci vel rubri, ab Iridis margine vel superficie oriuntur, qui post breve tempus rumpuntur, quicquid continuerant Cameræ oculi anteriori reddentes.

In illâ Iritidis formâ (Mercuriali dicta) signa

vehementer discrepare videntur, quia Lymphæ depositio multo lentius occurrit, et minus contrahitur Pupilla; dolore omnibusque aliis signis inflammatoriis mitioribus existentibus. Quod æger tum quoque sub vi Hydrargyri laboret, difficultatem hanc Iritidis speciem agnoscendi multum imminuit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Omnes causæ, quæ generaliter Inflammationem oculi movent, Iritidem etiam excitare possunt. Harum, transitus subitus a calore ad frigus, venti frigidissimi, radii solis fulgentes vel lux splendida, et vis externa oculo illata, præcipuæ sunt.

Tales hujus morbi causæ tamen frequentissimæ sunt, quales in Iridem ipsam valde delicatam, proxime agunt; sic ut dum operatio Cataractam extrahendi fit, Lens opaca, magnitudine suâ nimia, Pupillæ marginem collidit premitque. Iritis etiam sæpe oritur a parte Corneæ pendula nimis frequenter elevata, et

post operationem cataractam deprimendi; pupillamque artificiosam formandi.

Inter causas excitantes, proclivitatem ad inflammationem Rheumaticam, Arthriticam, vel Syphiliticam, numerare oportet.

DE DIAGNOSI.

Iritis Idiopathica per signa propria facile distinguitur; Oculi dolor, qui per totum capitis latus extendit, vehemens est, vasorum circulus juncturam Scleroticæ cum Cornea circumdat. Iris tumida est, colorque ejus mutatur cum sensu aucto; dum Conjunctiva parum afficitur; per hæc ab aliis vitiis oculi facile dignoscitur.

In illa Iritidis specie quæ ex inflammatione a conjunctiva se extendente fit, et quæ "Secundaria" nominatur, Conjunctiva minus vasculis referta est, depositio parcior, et nonnunquam nulla est, Pupilla minus contrahitur, dolorque lenior, et sensus minus acutus est.

Ab inflammatione Iridis simplice illa, quæ

Syphilitica dicitur, præcipue distinguitur, Iride magis inæquali, et corrugata, minusque luce affectâ, dolore etiam interdiu multo minus acuto, dum nocte valde augetur; et Iris vasis rubris tegitur, Pupilla minus contracta est, et quamvis signa non tam gravia sunt, Cæcitas tamen in Iritide Syphilitica multo plus perfecta et citiùs accidit.

A Saunders celeberrimo etiam dicitur, Lympham coagulabilem in forma guttularum deponi, et speciem tuberculosam accipere.*

DE PROGNOSI.

Etiamsi tam magni momenti est organum laborans, morbus gravis, et citissime visum abolens, Prognosis stadii Iritidis Idiopathicæ primarii, quum hæc facile agnoscitur, si modo remedia ad eam curandum apta adhibeantur, plerumque fausta est.

---

* Saunders on the Eye, by Farre, p. 95.

Cum Iritis junioribus habitûs corporis sani occurrit, cum inflammatio in Iride ex toto retinetur, et non a causâ speciali, ut a Syphilide, oritur, felicem quoque exitum prædicere licet. Si contra, inflammatio ad tunicas oculi interiores vel exteriores progreditur, veram *Ophthalmiam* internam vel inflammationem oculi totius movens; et si multum febris adsit, et frontis, oculi, temporisque dolor urgeat, cum tinnitu aurium, pervigilio, præcipue si ab Iridis laceratione, quæ facultatem ejus in perpetuum abolere possit, oriatur, prognosis infaustissima habetur, non quod Lympha deponatur, sed quod tantum periculi est ne Inflammatio retrorsum eat, Cerebrumque afficiat.

In stadio nostri morbi secundo ex Lymphâ plus minusve deposita, Prognosis multum pendet; nam quamvis (ut Beer existimat) hæc, quam in stadio primo, multo minus fausta sit, tamen, si medicinæ propriæ non omittuntur, morbi oculi curatio quam perfectissima obtinetur. Si post oculum attentè spectatum, nec Lymphæ effusio in Camera oculi posteriore inter Uveam et Lentis capsulam observetur,

nec processus Lymphæ, nisi quam minime, ab Iridis margine in cameram anteriorem prominent, dum nec ulla ulceratio vel mutatio in Iride organica est, visus in totum restaurari potest; licet Iridis motus per aliquod tempus hebetes sint sine contractionibus ejus multùm affectis.

Si Lymphæ effusio tamen permagna sit, vel color Iridis valde mutatur cum ulceribus plurimis in ejus superficie et magna quantitate puris in oculi cameris; et si inflammatio ita ad Corneam sese extenderit, ut ad eam Iris jam appropinquet, Prognosis infaustissima habenda est; nam visum restaurare, vel prohibere ne Staphyloma obveniat, tum nemo speret.

DE MEDENDI RATIONE.

Ut hic morbus in Lymphæ effusione celeriter terminatur, quam necessarium sit, Iritidem Idiopathicam quam citissime resolvere, facile patebit.

Cum victu quantum ferri potest, tenui, om-

nibus iis remediis quæ ad inflammationem minuendam optima habentur, uti oportet.

Horum omnium efficacissima est sanguinis detractio, in cujus remedii usu, quod ad quantitatem attinet, pro ætate et habitu corporis ægri hæc aestimanda est. Quo citius abstrahitur, eo effectus plerumque felicior evenit, et ad hoc bene largo vulnusculo vena incisa est donec anima deficiat; quis enim Conjunctivam (in Ophthalmiâ verâ) rubram, inter Syncope na sanguinis missione orientem, albescere non vidit?

Unciæ sanguinis octodecim vel etiam triginta ad primam missionem detractæ, duplice quantitate frequentibus et parvis detractionibus amissâ longe utiliores erunt.

Porro si post unam detractionem Sanguinis plenam, Symptomata non multum mutata maneant, ad eam iterum decurrendum est, donec effectus aliquis vel in pulsu, vel in signis quæ vexant, edatur; nam, ut Doctor Graham, Professor noster in re Botanicâ spectatissimus, docet:—" The general rule of our conduct, therefore, ought to be derived from the sensible effect of our practice, and every dose of medi-

cine, however large, is too small, every quantity of blood drawn, however great, is too little, if it stop short of the usual sensible effect; if we employ blood-letting in a patient with a full hard pulse, however large the quantity may be that we take away, we do not try the remedy, if we stop before we have produced its usual sensible effects, before we have brought down the fulness of the pulse."

Si ob corpus nimium infirmatum et relaxatum, detractio Sanguinis ulterior multum noceat, dum signa adhuc gravissima sunt; tunc ad Specialem ejus detractionem confugiendum erit.

Hæc optime efficitur per hirudines, quæ regioni temporum quàm proximè ad oculum affigi iterum atque iterum debent, ita ut evacuatio Sanguinis lenta a vasis Sanguiferis vicinis perpetuetur.

Purgantia a primis diebus ad Ophthalmiam sanandam adhibita sunt; et facile constat, hæc egregiè esse profutura, nempè a vi qua, in diathesin phlogisticam minuendo, res omnes quæ intestina irritant expellendo, et majorem sanguinis derivationem abdomen versus effi-

ciendo, pollent, dum ad caput derivationem minuunt.

Medicamenta nauseam excitantia, cùm siccitatem cutis, tam frequenter febrem Synocham comitantem, solvant, et actionem auctam, a nauseâ quam movent, arceant, in Iritide curanda efficacissima invenientur.

His medendi consiliis emplastrum vesicatorium, ut postea idoneo unguento vel emplastro acri, fluxus humoris perpetuus educatur, pone aures vel nuchæ imponere expedit.

Remedia topicè oculo admota parvi momenti sunt; non prorsus inutile tamen, oculum aquâ tam calidâ, quam æger sustinere potest, fovere, vel fomentis tepidis, quibus pauca capita papaverum decocta essent, uti.

Iris fibris musculosis copiose instrui apparet; et hæ circulatim radiatimque adeo disponuntur ut Pupilla clarâ luce, facillimè minuatur, et obscura, dilatetur. Hæc contractio pupillæ, quæ in statu oculi sano ex lucis impressionibus, retinamque afficientibus oriebatur, nunc ab irritatione in fibris Iridis musculosis, ab inflammatione excitata inducitur: hinc Pupilla,

quamvis lucis stimulus nonnihil imminutus fuerit, contracta manet.

Cum his omnibus modis Iritidem curandi supradictis, ne Pupilla sese contrahat, vel superficies Iridis posterior sese Capsulæ lentis agglutinet, contractionemque immobilem inducat, prohibere, (vel si res jam facta sit) eam amovere, summopere nitendum est.

Ad Pupillam dilatandum potentissimum Belladonnæ extractum est; quod a celeberrimo Saunders, ad morbos oculorum curandos primum in usum introductum est.

Saunders enim Belladonnam consortium illud actionum inter Iridem et Retinam qua "Pupilla in tenebris patula, admissa vividiore luce, statim contrahitur" abolendi potestatem habere, existimavit; necnon motus consociatos duorum inter se invicem oculorum, qualiter alterutro adumbrato, conspici solet, similiter, quamvis minus, interrumpere. Credidit etiam Belladonnam fibrarum radiatarum contractionem inducendi vim specialem habere; et sic dicit, "hoc admoto marginem Pupillæ dilatari, et ab axe suo recedere, frænulaque Lymphæ agglu-

tinantis refringere, et iridem demum se a lentis capsula, separare."

Extractum Belladonnæ optime usurpatur, quum ad Cremoris spissitudinem, aquâ additâ, reductum est; hac solutione tunc illinantur palpebræ superciliaque. Horâ vel horâ et dimidia postquam applicatum fuerit, Pupilla maxime dilatata invenietur; et mistura, ne crustas in oculi appendicibus formaret, abluatur; et iterum tertioque indiè repetatur.

Varia alia medicamenta narcotica vi magna ad Pupillam dilatandam pollere videntur, variisque ab auctoribus laudata sunt.

Extractum Hyosciami potissimum a Domino Wishart commendatur, ut minus stimulans quam Belladonna. Datura Stramonium etiam eandem potestatem habet, ut ab experimentis Doctoris Hannay de oppido Liverpool apparet.*

* Dr Hannay de Stramonii effectibus ita loquitur. " I may take this opportunity of remarking, that we have been using the Extract of Stramonium pretty extensively in Iritis, and those other diseased states of the Eye, in which the Belladonna has recently been employed with such good effect,

Ut prohibeamus ne Lymphæ effusio fiat, et si ita res evenerit ut absorptionem promoveamus, ad remedia, quæ hoc consilio potentissima esse creduntur, confugiendum est.

Vi prorsus admirabili in vasa corporis capillaria (sine ullo nexu cum origine morbi) Hydrargyrum pollet, adque Lymphæ ab iisdem depositionem arcendam, vel si effusa fuerit, amovendam, in Iritidis curatione omnium remediorum utilissimum invenitur, quam rem verba Domini Travers probè depingunt. 'But if any two facts are well established in modern medicine, I apprehend they are these; *first*, the power of mercury to arrest acute membranous inflammation, both prior to and after the effusion of adhesive matter; and, *secondly*, by its power rapidly to remove by an excite-

---

and have found it to be fully more active and efficient than that valuable medicine. Indeed, in some cases, it succeeded where the Belladonna produced no alteration on the Pupil." —Vide Annual Report of the Liverpool Institution for Diseases of the Eye, for July 1821 to July 1822, by Alexander Hannay, M. D. Physician to the Institution. Medical and Physical Journal, vol. xlviii. p. 266, 7.

ment of the absorbent system peculiar to itself, the newly effused adhesive matter. If these facts are admitted, the propriety of its use is indicated in Iritis, as in Carditis, Pleuritis, Peritonitis.*

Doctor Farre, Hydrargyro in Iritide Idiopathica, ex magno beneficio, quod ab usu ejus in specie Iritidis Syphilitica oriri viderat, primùm uti adductus fuit. Experimentorumque eventus eum certiorem fecit potestatem Hydrargyri solam rite continuatam, idoneam esse cursui morbi occurrere.†

Omnium Hydrargyri præparationum, Unguentum, Pilulæ et Submurias, Opio conjunctæ (ne alvum afficiant) æquis viribus in Iritide tollendo pollere videntur.

Si selegantur Pilulæ Hydrargyri, duæ cum grani Opii dimidio conjunctæ, horà decubitus, et una, cui Opii grani quarta pars addita est, mane sumantur.

---

* Synopsis on the Diseases of the Eye, by Benjamin Travers, F.R.S. p. 291.

† Vide p. 28, Pref. Saunders on the Eye, edited by Dr Farre.

Submurias Hydrargyri, qui nunc generaliter usurpatur, in dose granorum duorum vel trium cum grani dimidio Opii adhibeatur, et hæc semel atque iterum indie repetatur, donec effectus Hydrargyri proprii in corpore sese ostendunt, quibus perseverandum est quamdiu signa inflammationis existunt; nam, ut Farre docet:—' It is not the quantity of mercury, but the mercurial action which is required to interrupt the disorganizing process, and the former must be kept up until the latter is subdued."

Unguentum Hydrargyri cum Opio super Palpebram semel indie bene infricatum, a Beer summis laudibus commendatum est, quia ad absorptionem Lymphæ multum confert. Pro applicatione externa etiam solutionem Muriatis Hydrargyri in aqua cui mucilago paulumque Vini opii addita sunt, multum laudat; et cum hæc mistura suam vim amiserit, Unguentum sic formatum,

R.

Butyri	℥	ii.
Oxidi Hydrarg. rubri,	gr.	vi.
Extract. Opii	gr.	viii.

terantur simul, ut fiat unguentum, cujus quantitas parva inter Palpebras quotidie inseratur. Si viribus plurimum fractis et imbecillis, æger cursum quem vocant Hydrargyri non patiatur, tunc usu tonicorum, ut Cinchonæ et Acidorum mineralium cum diæta lautâ, corpus roborare oportet; et ab Hydrargyro prudenter adhibito et tonicis conjuncto, multum commodi obtinetur.

Ratione idoneâ Hydrargyrum dandi in Iritide apertâ, nunc ad modum ejus operandi progrediamur.

Doctor Farre* credidit hoc potissimum metallum actionem arteriarum extremarum morbosam minuendo, et eas ad conditionem sanam revocando agere; simulque actionem arteriarum, quâ Lymphæ effusio nititur, mutare, etiamque mutationes omnes sequentes, quæ ab hoc processu oriuntur, cohibere.

Hæc opinio ab ea quæ Doctori Veitch† pla-

---

* Cooper's and Travers' Surgical Essays, p. 92.

† Veitch Opere citato, pp. 92, 93.

cet, non multum differt; putat enim inflammationem ex actione arteriarum capillarium auctâ constare, actione venarum æque imminutâ, comitatâ; unde arteriarum distentio et renixus consequuntur, tensionem et tumorem moventes. Usu Hydrargyri tamen, tota vasa sanguifera stimulantur, actio arteriarum capillarium, simulque venarum, valde augetur, dum vasorum absorbentium actio multum crescit; quamobrem venæ actioni capillarium, ne effusione lymphæ sese relevent, prohibitarum, sese accommodant: dum vasa absorbentia, actione jam auctâ, Lympham, quæ jam effusa sit, amovendi potentia fiunt.

Hanc rei esse rationem vel inde apparet, quod tumores, Hydrargyro adhibito, multo celerius absorbentur, et quod in Inflammationibus membranæ serosæ, ut in Pleuritide, Pericarditide, in Carditide etiam, et in mortifera Cynanche Tracheali, multum commodi ab eodem obtinetur.

Adhuc curationem Iritidis Idiopathicæ solius descripsimus; et eâdem curandi ratione, (aliqua ex parte tamen mutatâ) Iritis Syphil-

itica eget. Curandi consilia quibus præcipue obsequi oportet, hæc sunt; omnibus remediis quæ inflammationem tollunt prudenter uti, dum Hydrargyrum tali modo adhibemus, qualis citissime morbum nascentem amoveat, et recursum doloris nocturni qui hanc speciem Iritidis tam bene declarat, et effusionem Lymphæ augere apparet, prohibere nitimur. Quamvis missio sanguinis generalis in hac Iritidis formâ non requiritur, multum commodi tamen a detractione sanguinis ex parte hirudinibus vel cucurbitulis cum ferro, dum omnibus remediis in priore parte Iritidis Idiopathicæ supra dictis utimur, orietur.

Pro indicatione secundâ, Beer* usum internum Muriatis Hydrargyri solutionis in Aethere Sulphurico cum Tinctura Opii conjuncto supra modum laudat. Calomelas, tamen, vel pilulæ Hydrargyri modo simili, ut in Iritide Idiopathicâ, adhibita, exitu æque felici praescribantur.

---

* Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. xiv. p. 220.

Ad postremam indicationem complendam, ad frictionem unguento Hydrargyri cum Opio super Palpebram semel atque iterum indie, præcipueque tempore quum dolores redire expectentur, confugiendum est.

Ut Iritidem, cui nomen Mercurialis datur, ad sanitatem perducamus, nihil aliud requiritur, quàm ut omnibus modis supradictis utamur, qui citissime morbum removebunt; nam omnium aliarum Iritidis specierum hæc facillime illa curandi ratione sanari apparet. In quibusdam exemplis tamen, quum morbus eruptionibus a priore Hydrargyri abusu orientibus connecti apparet, videtur Submurias Hydrargyri in Iritidem comitantem nullam omninò vim habere.*

Quòd si malum remediis supra notatis cedere nolit, et ad id stadium, quo Pus parvis tuberculis in Iride formatis effluit, progressus sit; quoniam Camera oculi anterior absorbendo

* Quarterly Journal of Foreign Medicine and Surgery, and of the Sciences connected with them, vol. i. (1818-19) p. 78.

plurimum potest, medici est absorptionem (quæ ad incipiendum proclivis est) materiæ effusæ promovere.

Hoc consilio uti oportet cum Submuriate Hydrargyri (ut in P. 29, adhibito) variis lotionibus stimulantibus, sicut Collyriis Sulphatis Zinci, Spiritui Camphoræ conjuncti; vel oculus vaporibus aquæ Ammoniæ, iterum iterumque objiciatur, dum absorptioni favemus, usu vesicatorii nuchæ vel pone aures admoti.

His remediis paucis diebus tota materia effusa amovebitur; et Camera oculi anterior Pelluciditatem suam recuperabit, quamvis motus Iridis ex toto amittitur. Circulus Iridis major colorem sibi naturalem recuperat, dum Pupilla corrugata et inæqualis manet et immota existens visum in totum perdit.

In exemplis ubi processus perniciosus, non tam perfectus fuit; æger quoddam beneficium obtinere potest ab operatione ad Pupillam artificiosam concinnandam; quam autem hic describere non locus est.

FINIS.